

habeant prius occurrendi, ac denunciandi, nè in eorum præiudicium, ipsique non concurrentibus, huiusmodi instantiæ recipiantur, cum de super certa praxi præscripta habeatur.



De Tribunali Ædilium, seu Magistrorum viarum, earumdemque viarum Præsides.

S V M M A R I V M

- 1 De hoc officio antiquo, & moderno, & de differentia.
- 2 De differentijs, vel distinctionibus viarum.
- 3 De introductione, vel restitutione huius magistratus in Vrbe.
- 4 Quod eidem commissa sunt causa retractuum, & seruitutum.
- 5 De officialibus ex quibus hoc Tribunal constituitur.
- 6 De questionibus circa refectiones viarum, & taxas, vel contributiones.
- 7 De contributione exemptorum, & ecclesiasticorum.
- 8 De Congregatione viarum, earumque Præsides.
- 9 Quomodo habeant curam viarum rusticarum, seu campestrium.
- 10 Et quomodo urbanarum in Ciuitate.
- 11 De venditionibus victualium, & bonorum in locis propè vias, & plateas subtillicidijs domorum.
- 12 De alia iurisdictione circa maniana, & pensilia ædificia.
- 13 De facultate concedendi situs & loca publica.

D I S C. XXXVIII.

Adem differentia, quæ disc. precedenti insinuata est, inter hodiernum Urbis Senatorē, & Senatores antiquæ Reipublicæ Romanæ, dignoscitur quoque in isto Magistratu, quoniam Ædiles curules, seu viarum curatores dictæ antiquæ Reipublicæ, curam habebant omnium viarum, & pontium, per vniuersum Orbem, qui ipsius Reipublicæ Imperio subiectus erat, ita gerendo has partes, iure Principis potius, quam iure Ciuitatis; Moderni verò Ædiles, qui vulgò Magistri viarum appellantur, restrictam habent iurisdictionem vel curam, intra Urbis territorium seu districtum, ideoque potius iure Ciuitatis; Postquam etenim Romanum Imperium dissolutum fuit, atque cessauit illa cura, quæ in hac materia viarum, & pontium, adeò diligenter habebatur, ut non obstante adeò diuturni temporis edacitate, adhuc probent reliquæ, quas cernimus viarum, Appiæ, Flaminæ, & aliarum; Eodemque Imperio diuiso in tot principatus, quilibet Princeps in sua ditione, istam curam suscepit, cum ea distinctione, cum qua probabile est, ut etiam antiquorum Romanorū temporibus procederet, quod scilicet cura publica Principis, eiusque vice, istius magistratus, versaretur circa illas vias magis publicas, quæ totius Orbis, vel respectiue principatus communicationem concernunt; Et quæ, Basilicæ, seu Militares, vel Consulares in iure appellantur, hodie verò vulgò viæ Regiæ, seu Magistræ, aut Romanæ; Singulæ verò Ciuitates, & loca, curam haberent aliarum viarum, & pontium in proprio territorio existentium, atque ad ciuium & incolarum commoditatem principaliter deseruentium, vnde propterea, ad differentiam aliarum, quæ magis publicæ sunt, priuatæ dicuntur, quamuis in effectu sint etiam publicæ, cum diuersa sit species aliarum viarum, quæ verè & propriè dici merentur priuatæ, ut in regalium sede aduertitur. A

Vtrumque autem munus, in ipsa Vrbe, & lo.

A. tit. de seruitut. disc. 136.

& locis, ac prouincijs adiacentibus, neglectum erat, atque in desuetudinem abierat; Tum propter absentiam Pontificis pro eo tempore quo Sedes Apostolica residentiam habuit in Ciuitate Auenionensi, adeò vt Romana Ciuitas, omnimodam penè desolationem experta sit; Tum etiam ob magnum ac diuturnum schysma, quod ad breue tempus, post eiusdem sedis regressum, initium habendo sub Urbano VI; finem habuit in Concilio Constantiensi, siue sub Martino V., qui in eo, iuxta modum alibi supra insinuatum, electus fuit,

Inter multa igitur, quæ vel iam penè collapsa, & abolita, seu valde corrupta, iste Pontifex in Vrbe, alijsque partibus, vel restituit, vel reformauit, fuit præsertim iste Magistratus Ædilium, seu Curatorum viarum intra Urbis districtum, cuius successores Pötifices tractu temporis facultates auxerunt, adeò vt effectum sit vnum ex formalibus Tribunalibus. B

Magnum autem incrementum istud Tribunal habuit à Gregorij decimitertij Constitutione, quæ ob Urbis ornatum, quàmplura statuit, & præsertim circa vtrumque retractum, prælatium, & coactiuum, eiusdem Constitutionis obseruantiam iniungendo, coniunctim Cardinali Camerario, & huic Magistratui, qui propterea, in isto negotiorum genere proueniente à dicta Constitutione Gregoriana, constituit quoddam Tribunal mixtum, cum illo Camerarij; In alijs autem habet proprium Tribunal, absque hac mixtura. C

Constituitur autem hoc Tribunal à duobus viarum Magistris, qui nobiles Romani, vel incolæ, ad nutum Papæ amouibiles, ab eodem deputantur, habentes alios officiales, & ministros, qui ad Tribunalis efformationem, necessarij, vel opportuni videntur; Nempè vnum togatum Iuris professorem, qui est eorum Assessor, de cuius voto sententias proferunt aliasque faciunt prouisiones, istudque est officium venale ratione emolumentorū resultantium ab alijs damnato vsu propi-

B. eod. tit. de Regal. disc. 141.

C. de his toto tit. de seruitutibus.

narum, quæ in isto Tribunali quoque habentur; Nec non habet proprium Notarium, ac etiam Procuratorem fiscalem, qui ratione officij, inuigilat, ac instat, pro coactione habentium casalia, & prædia adiacentia, vel domus in Vrbe, ad contributiones, & collectas, pro viarum, ac pontium refectione, & conseruatione, & quandoque noua constructione, ac etiam in Vrbe, pro cloacis, siue pro demolitionibus ædificiorum, quæ vulgò gettiti, nuncupantur, pro maiori ornatu, & decore, vt adeò frequenter nostra ætas praticari vidit; Ideoque frequentes audiuntur quæstiones forenses tam in isto Tribunali, & alijs, eius superioribus in gradu appellationis, Præsidis scilicet viarum, & Cameræ super retractibus, & seruitutibus, præsertim urbanis, occasione nouorum ædificiorum, quæ etiam incidenter in alijs ordinarijs Tribunalibus super modo contributionis, aut super eius onere, puta inter locatores & conductores. D

Non audiuntur autem in hoc Tribunali illæ quæstiones, quæ in alijs Orbis Catholici partibus, audiri solent, occasione ecclesiasticæ immunitatis realis, an scilicet clerici, aliæque personæ ecclesiasticæ, & immunes, teneantur ad contributiones, & collectas, quæ indicuntur pro refectione pontium, & viarum, & de quibus in suis respectiue sedibus agitur, E, quoniam, ob existentiam vtriusque gladij in vna manu; Vel nunquam; Vel nimium rarò de his, in Vrbe, & in reliquo Statu ecclesiastico, disputari contingit, dum ex pontificijs decretis, nulla dignoscitur differentia inter ecclesiasticos, & sæculares in huiusmodi taxis, & contributionibus; Adeò vt licet istud Tribunal sit in sui origine, ac natura sæculare, attamen, vt de aliquibus alijs supra aduertitur, admixtam habet aliquam ecclesiasticam potestatem, quæ exerceri videtur à Camerario siue à Præside, qui sunt personæ ecclesiasticæ.

Cum autem per huius Magistratus restitutionem, suppletæ essent illæ partes, quæ

D. de his quæstionibus refectionis viarum, & contributionis, tit. de Regal. à disc. 135. ad 142.

E. dicto tit. de Regal. disc. 58. 59. & 131. & tit. Miscellan. Eccl. lib. 14. disc. 3. & seq.

quæ privatae Civitati potius, quam uniuerso publico principatu incumbunt, iuxta supra enunciata distinctionem E; Hinc Sixtus V., ut partes Principis quoque in uniuersa temporali ditione impleteret, Congregationem desuper erexit eodem tempore quo plures alias iam recensitas, cum eius Constitutione instituit; Raro autem illa habetur, dum pro refectionibus pontium, & viarum, etiam ultra districtum, ultra quem se non extendit potestas istorum Aedilium, adhuc eorum munus ad id deseruit, ob communicatam potestatem latiore Præsidis viarum, qui est vnus ex Camera Apostolicæ Clericis, atque uti solet opera, & consilio huiusmodi officialium, tanquam peritorum, etiam in ijs vijs, & pontibus, qui in alijs prouincijs, construi vel refici debent. F

Iste autem Præses, ut alibi aduertitur G, pro causis Urbis, & districtus quæ in prima instantia aguntur in isto Tribunali, tam super refectionibus, pontium, & viarum, quam etiam super retractibus, & seruitutibus, est Iudex appellationis, ipseque agit secundam instantiam, Tertia verò pertinet ad Cameram.

Pro cura item viarum, intra districtum sed extra agrum Romanum, istius Magistratus partes versantur, super vijs principaliter publicis seu consularibus, quæ Romanæ vulgò appellantur, ad publicum commercium principaliter destinatis, dum aliarum, quæ licet sint etiam publicæ, attamen comparatiuè, dici merentur, potius privatae, ut supra, curam habent singulæ Communitates in eorum respectu territorijs; Sed intra agrum Romanum habent etiam curam illarum viarum, quæ respiciant priuatam commoditatem habentium casalia, & tenuras, aliaque prædia, cum id quoque concernat publicam commoditatē Civitatis pro commodiori vectura seu asportatione frugum, aliorumque fructuum & victualium.

Et quoad vias urbanas, quæ iuxta dispositionem iuris refici debent per ipsarum domorum dominos, ut scilicet quilibet reficiat viam ante eius domum, ipsi do-

mini ab hoc Tribunali, eiusque procuratore fiscali, per acta proprii Notarij statuti anni temporibus, iuxta illam regionum, & viarum distributionem, quæ pro publica commoditate facere congruit, monentur, statuto competenti termino, quo elapso, eisque negligentibus, deputantur illi fabri murarij, quibus idem Magistratus uti solet iuxta regionum distributionem ex officio ad faciendam refectionem necessariam, cogendo postmodum ipsos dominos ad solutionem mercedum, & expensarum, pro quarum taxa, habet architectos, & peritos.

Inter ipsos Aediles, vel eorum Procuratorem fiscalem, ac priuatos domorum dominos, quæstiones audiri solent super facultate vendendi victualia, & alia bona publicè exposita propè vias publicas, sub earumdem domorum stillicidijs, an scilicet illud spatium, iuris priuati censeatur, quamuis in publica via, vel platea respondeat, vel potius sit iuris publici, dum in ijs partibus, quæ ad vias vel plateas publicas pertinere dicuntur, absque ipsorum Magistrorum licentia id fieri non potest. H

Aliæ quoque contingunt controuersie super constructione manianorum, aliorumque ædificiorum pensilium; quæ scilicet ultra murorum lineam se protendant supra viam, & plateam publicam, ita publicum aerem, ut ipsi dicunt, occupando, dum id sine eorum licentia, & concessione pariter fieri non potest.

Item quamuis publicorum locorum concessio sit de Principi reseruatis, attamen ex quadam generica concessione, vel permissione, isti Magistri viarum non habent quidem facultatem concedendi priuatis, publica loca in eorum solam gratiam, & commoditatem absque iusta causa concernente publicum ornatum, cum id Papæ cum chirographo concedi solet eisdem Magistris, recognitione, & executione commissa, sed huiusmodi concessiones faciunt, quando ratio publici ornatus, vel utilitatis ita exigat; Puta ut claudantur vel tollantur quidam loci immunitiarum, siue qui deformitatem cau-

sent;

E. de dicta distinctione tit. de Regal. disc.

141.

F. dicto disc. 141. de Regal.

G. supra disc. 33.

H. tit. de Regal. disc. 142.

DISC. XXXIX.



Dinstar Aedilium Curulium, de quibus actum est disc. precedenti, antiqua Respublica Romanorum, alios habebat Aediles Cereales nuncupatos, qui

pro publica annona, agriculturæ confovendæ, & ampliandæ, curam haberent; Isto autem Magistratu intermisso, ut de omnibus alijs eiusdem Reipublicæ cum Imperij dissolutione sequutum fuit, adeo ut in obliuionem abiisset, ex Pontificum, vel Romani Populi cura, iure priuato Civitatis potius, quam publico principatus, illè innouatus fuit, pro Urbis scilicet territorio seu districtu, quibusdam tractu temporis desuper ordinatis statutis, pontificia auctoritate roboratis, quæ in volumen redacta, etiam cum aliquibus glossis habentur, illaque vim legis habent in ijs, quæ istam rem agrariam, omniaque alia ad agriculturam pertinentia, respiciunt.

Constituatur autem istud Tribunal, per quatuor Consules, qui ut plurimum sunt ciues, vel incolæ Romani, nobiles, seu valdè ciuiles, in hac arte periti; Vel quia rem, seu negotiationem agrariam agant; Vel quia casalia possideant, adeo ut in hac re versati sint; Eorumque mutatio ad formam statutorum, crebra seu frequens est, (quando aliàs Papa non mædet), quoniam singulo quoque trimestri duo mutantur, ut illi, qui de nouo assumuntur, instruantur per duos ex antiquis qui remanent intrà nouum trimestre, quo finito, isti noui remanent antiqui, & sic successiuè, adeo ut singulorum duratio, sit per sex menses.

Habent isti Consules, pro decidendis controuersijs iudicialibus cum sententijs, vel decretis, Assessorem, qui est togatus curialis, de cuius voto proceditur; Ac etiam proprium Notarium, cum officio particulari ad id deputato; Et quando Assessor recusetur, assumitur alter Consulor, Aduocatus, vel causarum Patronus, & quandoque etiam Prælati pro libito Consulor, & pro causarum qualitate, eo modo quo de foro capitolino est dictum.

A sententijs, vel interloquutionibus

P. 2. Relatio

D d

non

sent; Vel ut vulgò dicitur dando filum, idest quod pro reductione ædificiorum, ad magis rectas lineas, meliorèque simetriam, detur facultas ædificare volentibus, ut iuxta præfinitas lineas, aliquam partem viæ publicæ occupare possint, dum ita ab ea parte situs priuati, qui dimittitur, compensatio resultare solet. I

I. tit. de seruitut. disc. 5.



De Agriculturæ consulibus, & Tribunali.

S V M M A R I V M.

- 1 DE introductione istius Tribunalis, eiusque statutis.
- 2 Ex quibus istud tribunal constituatur.
- 3 De Assessore ordinario, vel extraordinario.
- 4 Non datur appellatio, sed remissio.
- 5 Per Statuta determinantur multi casus controuersarum.
- 6 De personis certis, & huic tribunalii subiectis.
- 7 De modo procedendi intrà, & extrà districtum.
- 8 De alijs officialibus nempe defensoribus, & Consiliarijs.
- 9 De eodem de quo num. 6. & quando persona dicantur addicta.
- 10 Quod agricultura sit ars nobilis quæ non derogat nobilitati.
- 11 De plerisque alijs paruis iudicijs, & tribunalibus artium.
- 12 Quare hoc tribunal agriculturæ innotescat, etiam classicis curialibus.